

tenebitur in secreto et habebit tertiam condempnationis, et qui non poterit dictam penam solvere, stet per spatium medii diei ad pilorinum¹⁾).

Item, quod nullus serviens curie Rodi pignoret nec faciat aliquam executionem sine licentia sui maioris; quod si fecerit, cadat ad penam de bisanciis de Rodo XXV, et cassetur de officio et quod ad ipsum officium non possit plus pervenire.

Item, quod si aliqua persona contradixerit pignus servientibus curie Rodi, cadat ad penam pro quaque vice de bisanciis de Rodo V.

Item, quod si aliquis offenderit aliquem officialem curie Rodi officium facientem, cadat ad penam duplam.

Item, qui cognoverit aliquam feminam per violentiam, cuiuscumque conditionis sit, stet ad misericordiam domini.

Item, qui eradicabit barbam seu pilos barbe alicui irato animo, cadat ad penam de bisanciis de Rodo L.

Item²⁾, quod nullus macellator, seu aliquis pro eo, inflet bestias, sub pena de bisanciis V, et perdat dictas bestias inflatas³⁾).

Item, qui vulneraverit aliquem vel aliquam et fecerit pacem et concordiam cum vulnerato infra octo dies, a die, quo factum fuerit dictum vulnus, teneatur solum ad quartam condempnationis seu pene interposite, ut in statutis continetur.

Item, qui faciet dampnum alicui iardino vel terre, emendet dictum dampnum et cadat ad penam de bisanciis V.

Item, quod omnes, tam masculi, quam femine, tam nati, quam nascituri de Franco et Greca habeantur et teneantur pro Franchis. — Additio⁴⁾: Qui scilicet marinarii fuerint et morabuntur in burgo Rodi.

Item, quod qui habebit sclavum suum seu sclavos, qui non sint de insula Rodi, possit ipsos extrahere de dicta insula. — Additio: De licentia domini.

Item sutores, qui suunt pannos, talem mercedem, ut sequitur, pro suo labore accipiant. Videlicet, quod de uno pari vestium munito seu federato⁵⁾ de penna⁶⁾ habeant bisancios de Rodo II cum dimidio. — Additio: Sed in principalibus festis habeant tres, continuatis quindecim diebus ante huiusmodi festa.

1) pilorium, englisch pillory, Pranger. 2) Marginal steht das oben S. 266, n. 1 genannte Zeichen ++. 3) Es folgt hier eine bedeutende Lücke, die dadurch entstand, dass die Hälfte von fol. 173 weggeschnitten wurde. Daher fehlt die ganze zweite Columnne von fol. 173 und die erste von fol. 173'. Wie noch aus Spuren zu ersehen ist, waren sie ebenfalls beschrieben. 4) Diese Additio, wie die folgenden, am Rande von andrer gleichzeitiger Hand. 5) munito seu federato jedenfalls gleichbedeutend mit fulcitum seu fodratum weiter unten, ausgelegt und gefüttert. 6) penna = pannus. Du Cange.